

B. N. II 198.

X 1877951

h. 52, 19.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA,  
DE

FEUDIS CLI-  
VENSIUM VEL  
ZUTPHANIENSIVM  
MORE CONCESSIS,

*Quam*

D. O. M. ANNUENTE  
IN ELECTORALI VIADRINA  
JURIDICI ORDINIS CONSENSU  
DIRIGENTE

DNO. JOH. FRIDERICO  
RHETIO, JCTO,

CONSILIARIO ELECTORALI BRANDENB. OR-  
DINARIO JURIDICÆ FACULTATIS, ET JURIS CANO-  
NICI AC PUBLICI PROFESSORE ORDINARIO,

IN ACROATORIO JCTORUM

Horis Antemeridianis

D. V. Augusti Anni M. DC. LXXXII.

Publico & placido Doctorum examini  
exhibet

JOHANNES GERHARDUS de MORRIEN,  
Eqv. Ubius.

*Francofurti cis Oderam,*

Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI, 1682.

II R  
3222

VII 4

9







## PRÆFATIO.

**D**uci prudentia, honesta à dete-  
rioribus, utilia à noxiis discernunt,  
plures aliorum eventis docentur,  
verissimè olim Tacitus effaba-  
tur. Res Humanæ quippe ho-  
nestis ac turpibus, noxiis & utilibus absol-  
vuntur, quæ sub una sæpe latent specie, nec  
nisi à prudentiæ studio subactis ingeniis di-  
scernuntur. Benignius fortè cum Genere  
Humano ageretur, si honesta sola Civitati suf-  
ficerent, & Homines omnes ejusdem essent  
indolis, ac solidi boni sincerè capaces; cum  
autem aëris temperies complexiones & affe-  
ctus parit, ac dissentire post lapsum Homini-  
bus pene naturale effectum est, honestum si-  
ne utili & commodo, sive bonum sine æquo,  
Societati civili nulli satis conducit. Ferri  
hinc Grotio teste, ab Hominibus leges de-  
bent

bent, cum humanæ imbecillitatis sensu, & ut minimum, qua datur, ab honesto secedant; Quæ *Græcus* in pauciora contulit, dum *humanas leges vitæ ac temporum inventa esse pronuntiavit*. Has demum pro moribus hominum & temporum conditione invenire & statuere prudentia, vel ex solo eventu aliorum metiri interest maxime! Hic quippe ob consuetudinum pravitatem ac negotiorum diversimode contingentium varietatem non raro fallitur, & pulchro suo excidit proposito; is verò quæ se offerunt exempla ad prudentiæ animum trutinat primum, cum utilium declaratione honesti rationem confert, ac consilio jus, & actioni decus conciliat, sicque statuit, & fine suo potitur feliciter. Quæ publici commodi causa utilium à noxiis discretio & electio, incumbit; illa quoq; privato rebus suis bene consulturo non minus conducit; Aliud enim *Seneca* monente, *meminisse, aliud scire est*; Meminerunt illi qui commissa memoria tenent, applicare contin-  
gen-


gentibus nesciunt. Sciunt contra qui rerum causas norunt & suis ac aliorum usibus inservire valent appositè. Jurisprudentiæ contrarium magis nihil est quam doceri exemplis, quod Justinianus Cæsar, cujus cura jus in Artis modum primo redactum, cavendum Studiosos monuit, & quid in ipsis rerum argumentis obtineat curare jusfit. Noxium id reputavit omne, quod frustra tractandum suscipitur, dum in publici commoda peccare eum voluit, qui tempus utilioribus insumendum, in futuri oblivionis spem impendit. Plures an pauciores ad prudentiæ tramites actiones suas instituant, num exemplis vel eventis edoceri malint, hic nullus ambigo. Qui biennium & quod excurrit prope juris prudentiæ, opera, qua decet, invigilavi, antiquius nihil habui, quam de iis agere quæ in ævo hoc aliquando mihi sunt profutura. Quid vero profecerim eo fine, ut publicè probatum dem quodammodo, quibus morem gerere pietas pariter & necessitudo jubet, mi-



hi imposuerunt: De Feudis Clivensium & Zuphaniensium more concessis Academico more Disputationem conscribere, eamq; in Arte ista edoctis ventilandam publicè exhibere constitui. Tractationis materia ab argumento quod præ se fert, autoritatis & pretii fortè satis habet. Ipse tamen non ostentandi ingenii causa, quam exiguum enim istud sit, sentio, sed solius veri investigandi ergo, in id ducor; ne ejus loci, qui pro patria mihi esse valet, jura ignorati exprobrare mihi quisquã audeat. Sicuti in re hac ardua titubavero, Lector Benevole, Juveni in verum curatius paulo inqvirenti, & quo majorum decus & indoles vocat non nisi modestè contendēti, pro cādore tuo, condonabis. Methodi rationem expone- re præfamen non sinit, & tractatio ipsa perspicuè satis eam exhibet. Tu Deus Alme annuas cœptis cujus auspicio

sic

SECTIO



## SECTIO PRIMA

DE

# Feudorum Clivensium vel Zutphaniensium more concessorum natura in genere.

THES. I.

**D**E Feudorum horum natura & indole tracturum terminos, scilicet Feudi, Clivensium & Zutphaniensium nomina explicare prius oportet, quã de iis quę in ipsa tractationis materia supponuntur, agatur. Sicuti Nominum rebus impositorum pleræque origines in obscuro sunt, sic maxime illorum quę non puræ indigenæ reperiuntur. Ipsum Feudi vocabulum Rei quam denotat coævum esse, nulli dubitamus, quî verò in nullo fide digno monumento vel instrumento ante annum C. Millesimum sive in Germania sive in Italia occurrat, mirari subit. Quæ *Freherus* & alii ex *Conradi III.* diplomate pro antiquiore ejus usu adducunt ob varias rationes suspecta sunt. Probabile est inde illud contigisse: In confesso est Germanica vocabula iis adhuc annis literis exprimi fuisse incognitum; & cum scribi annis non adeo multis ab hinc coeperint latinis vel Græcis literarũ rudimentis ista fuisse exarata constat. Quod

Quod enim peculiaribus & à Latinis vel Græcis distin-  
 ctis literarum elementis, & communius paulo scribi cœ-  
 perint, ex vero seculum C. decimum quintum non exce-  
 5. dit. Quæ in contrarium adducuntur si non apertæ fal-  
 6. sitatis, suspectæ tamen fidei facile convinci possunt. Ut  
 ad rem veniamus, Feudi vox non simplex sed composita  
 esse videtur, uti ex Saxonico antiquo loquendi modo col-  
 ligitur, quem Longobardi quoque qui Saxonice stirpis  
 fuerunt calluerunt; nam idem sonat ac *Fœdethum* à  
*Feoden* quod latinis alere est & *thum* quod vocabulum rem  
 ad alimenta vel rem incertum finem destinatam ex idio-  
 mate isto significabat. Uti quoque dicitur *ein Witthum*  
 quod in alimenta viduæ constitutum, sic *Riechthum* & si-  
 7. milia vocabula alia sunt enata. Icti itaque qui puræ la-  
 tinitatis Studiosi erant & feudi vocabulum barbarum re-  
 putabant, beneficii nomine pro feudi voce frequentius  
 sunt usi, & litera O. in nomine feudi, cum jam Feudi voca-  
 bulum in jure obtinere inciperet, vel thypothetarum in-  
 curia intransiit in U. vel ob Ethymologiæ varietatē Docto-  
 res aliqui data opera id immutarunt, ut inde Feudum  
 8. pro Fœdum invaluerit. A Fide derivari feudum uti *in 2. F.*  
*3.* fere in fine indigitatur, allusionem magis quam Ethy-  
 mologiam sapit; Nec majus acumen præ se fert quam  
 cum *2. F. 10. Marchio* derivatur à *Mari*. Cæterum inter  
 varias significationes quas feudi vocabulum habet de qui-  
 bus *Struv. in Syntagm. 7. F. c. 2. a. 2.* hic pro re in feudum con-  
 cessa vel qualitate Feudi imbuta supponitur, quæ fusius  
 persequi nec vacat, nec per Disputationis conscribendæ  
 9. Leges licet. Vocabulum *Lehn* postquam Imperii consti-  
 tutiones idiomate Germanico scribi ceperunt, synony-  
 10. mon Feudi factum est; simpliciter tamē positum feudi no-  
 mini non respondet, sed ex contextu vel materia substra-  
 ta, cujus significationis sit, æstimandum est. Sic *ein Psarr-*  
*Lehn*



Lehn/ein Dahrlehn. *Boxhornius quidem in Dissertatione de* 10.  
*Trapezitis p. 8. & seqq.* Feudorum in Germania indolem  
à mutuum sumendo deducit, ac si Principes à ditioribus  
quibusdam pecuniam mutuo sumpserint, & in ejus securi-  
tatem creditoribus terras quasdam Territorii sui in hypo-  
thecas dederint, cum vero istud solvere commodè non  
potuerint, Terras in solutum iisdem dedisse, eâ condi-  
tione, ut illas ab iisdem in feudum recognoscerent; Ast 11.  
licet hæc quorundam in Germania forte, non tamen o-  
mnium ibi feudorum origo est. Ufu enim vocabulum 12.  
Lehnen nihil aliud est quam concedere verleihen oder ge-  
ben/unde Lehn concessum, quod objecti & modi conces-  
sionis ratione varium est: Qua verò more Clivensium 13.  
vel Zutphanensium dicantur concessa, colligere facile  
est. Quæ enim juxta consuetudines Curia clivensis sunt  
data, Clivensium more, quæ secundum consuetudines  
curia vel districtus Zutphanici sunt data, Zutphanensi-  
um more concessa esse nobis dicuntur. Non unius au- 14.  
tem conditionis vel nominis Feuda ibi sunt, sed ex con-  
cessionum formulis diversæ quoque indolis censentur.  
Sic perhibentur Feuda nuncupata *Elevische Lehne!*  
*Lehne tot Elevischen Lehn-Rechten / Elevische Manlehn / Ele-*  
*vische Lehne wie die gelegen / Elevische Fünffmarcks-Lehne /*  
*Elevische Pondige Lehne / Elevische Burg-Lehne / Elevische*  
*Dienstmanns-Lehne / Elevische Rittscheids-Lehne / Lehne tho*  
*Zutphenschen Rechten.* Unde harum consuetudinum in una 15.  
Curia tanta diversitas sit, mirari posses, Sed sequentes  
ob rationes id contigisse probabile est: Pleraque Cliven-  
sis & adjacentium Territoriorum Feuda oblata sunt, non  
data. Oblata vocantur quæ à Dominis rerum allodiali- 16.  
um potentioribus sunt exhibita, vulgo sein aufgelassen ut  
è conditione allodiali eximantur & in feudalem quali-

B

tatem

tatem transferantur, sicque pro modo pacti vel consuetudinis Curiae aut loci, offerenti concedantur; seu quod ita sub tutela potentioris contra iniurias aliorum defendi possent facilius, vel quod vasalli apud potentiores gratia potiori vel propitiori haberentur. Data, quae e patrimonio alicujus Domini alii ob benemerita vel ob favorem nexu feudali sunt concessa. Horum tantum in jure Feudali communi, quod Longobardorum est, fit mentio, & tractationis ibi materia sunt fere unica. Dominus enim rebus suis in beneficium concedendis modum & formam pro arbitrio imponere poterat, quam vasallus ob meri beneficii memoriam sequi tenebatur. Contra in oblatiis est, quibus ex pacti lege, quam offerens cum Dno, cui obtulit rem suam, iniit, ut in qualitate feudali vicissim reciperet, modi & conditiones magis offerent. volunt. imponuntur, sicq; conceduntur diversimode. *Besold. in Thes. pract. vocibus: auffgetragene Lehne.* Cum itaq; Clivensi Ducatui aliquot territora, diversis consuetudinibus imbuta, sunt, uti ex diversis Belgii provinciis patet, quisq; qui praedium, domum, agros, fundos &c. offerebat alicui curiae Dno in feudum vicissim recipiendos, pro modo beneplaciti sui, conditionem & modum rei suae quo eam imbui desiderabat, imponi rogabat Dominum. Et inde forte haec varietates. Cui probabilius aliquid, unde hoc contigerit, subest, opinari eum sinimus facile, quem & nos meliora edocti sequemur. Alias sicuti in Italia leges Romanae Longobardis tempore Lotharii, Ludovici pii filii, sic jus Francorum postea opponebatur Saxonico. Francicum, Tractum Rheni cum Belgio respiciebat; Hoc vero Tractum Saxonicum, sic vocatum, usque ad Mare Balthicum complectebatur. *Joh. Gryphander de Coloss. VVeichbild. cap. 40. n. 12.* Et sic universa Germania tunc eo intuitu veluti

in

in duas partes divisa fuit, ut qui in Tractum juris Saxoni-  
 ci Saxo, in altero juris Francici Tractu habitaret, Francus  
 appellaretur *Aeneas Sylvius in Europa c. 31. glossa ad artic. 26.*  
*lit. N: Der Sachß / daß ist ein jeder so unter Sachsen recht*  
*sigt.* An idem hoc Aurea Bulla Caroli IV. c. 5. firmet, 24  
 & ideo saltem duo imperiū vicarii vacante sede Cæsarea  
 sint constituti, de eo in discursu agendi occasio erit.  
 Cæterum videri posset, sicuti per constitutionem Lotha- 25  
 rii *lib. 2. LL. Longobardorum 57. unde Can. ult. dist. 10. de-*  
*sumptus esse videtur, in Italia cuiq; è populo integrum*  
*fuit profiteri, qua lege vivere & judicari velint [quod usq;*  
*ad Lotharium Saxonem usu tenuit, Sigon. in Actis illius*  
*Lotharii lib. 11.]* sic in Germania quoque contigisse, & in-  
 de Feudorum quoque juxta diversas professiones quo  
 quisque jure teneri vel judicari voluisset, in tractibus istis  
 esse diversitates. Sed quoniam istius Lotharii constitu- 26  
 tio Germaniam quæ talem non respexit propriè, sic ta-  
 les jurium professiones & inde oriunda judicia, ibi haud  
 usu tenuisse opinamur, sed pro modo bonorum in feuda  
 oblatores id accidisse. Nam in Francici Juris territo- 27  
 rio degens regulariter eo jure censebatur, contra Juris Sa-  
 xonici partes inhabitans, juxta istud non aliud in contro-  
 versis causis fortiebatur forum. Hujus Juris Francici vigore, 28  
 de Feudis, tanquàm de allodialibus disponere fas erat in iisq;  
 tam foeminae quam mares succedebant, sexus tamen &  
 ætatis habita prærogativa; & si unius sexus plures liberi  
 essent, non omnes æqualiter admittebantur, sed ut ad  
 modum dictum præsertim inter nobiles locus esset primo-  
 genituræ, *Thomas de Marinis in tract. de genere & qualit.*  
*feudor. lib. 13. de Feud. jure Francorum prælect.* *Tiraquellus*  
*de primogenitura in præfat. n. 3. junct. Petro Gregor. de con-*  
*cess. Feud. g. 4, qv. 1. num. 19. Assertio Brandenburg. in Duc.*

- 29 *Ful. Cliv. p. 69.* Et hinc quādo de success. Terrarum praesertim Belgicarum generali consuetudine Feudorum, disquiritur, Regulariter pro dicto Jure Francorum praesumitur, nisi aliud pactis vel ex investiturarum conditionibus appareat. Quemadmodum enim ubi jus Longobardorum commune est receptum, pro feudo recto praesumptio stat. *arg. 2. Feud. 2. §. ult.* sic quando in his Tractibus & in vicino Belgio de Feudorum qualitate controversia incidit, non ad jus Longobardorum commune recurrendū, quod ibi non receptum, sed primo respiciendum ad investiturarum pacta; in defectum verò eorundem ad consuetudines cujusq; loci vel Curiae, juxta quas feudum concessum, speciales, si ex iis non liqueret ad generales Regionis consuetudines, vel iis deficientibus ratione casus contingentis ad jus commune Romanum respiciendum, *Paulus Christianus Dec. Curia Belgic. Volum. 4. Decis. 212. num. 78. & 81.*
- 30 Quamvis autem provinciae Clivensis, Marcana &c. fuerint Belgio accensitae, & postea Coloniensis Archiepiscopatus, qui cum his ejusdem juris fuit, Rhenano, illae verò Westphalico circulo in descriptione Imperii Romano German. ascripti sint, consuetudinibus tamen Regionum istarum, & juri antiquo earundem, juri scil. Francico, eo nihil decessit. *Asfert. Dom. Brandeb. in Ducat. Ful. Cliv. fol. 6.*
- 31 An verò Jus Francicum de quo hic agitur idem cum lege Salica antiqua reputetur, à Doctoribus in controversiam vocatur.
- 32 Magni nominis vir *Conringius de origine Juris German. c. 20.* vers: *Salicam porro legem &c. cum Hottom. in Franco Gallia c. 10. Heig. qv. 7. n. 39.* opinatur, Salicam Legem à Saliis originem traxisse; Quos non partem ejus populi, sed omnes Francos originarios fuisse appellatos autumat. Ut sic Francica & Salica lex unum idemq; revera denotaverint, & ubicunq; origine Franci vixit,

xit, lege Salica vixisse dictus sit. E contrario alii diver-<sup>33.</sup>  
 sum arbitrantur, Legem Salicam partē quidem Juris Fran-  
 cici, sed integrum id non fuisse; Inter quos *Johan. Gryphi-*  
*ander de Colosf. VVeichb. c. 40. num. 8.* Nobis, melius senten-  
 tium iudicio salvo, eas diversas fuisse probabile videtur; &  
 Salicam Legem qua foemina de Terra Salica nullius por-  
 tionis capax est, ad Reges & principes potius, quam alios  
 pertinuisse remur; ad quos hodie ad hoc restringitur.  
 Sic Francorum jus omnes Francos & qui eo jure vixe-<sup>34.</sup>  
 runt respexit, contra uti modo dictum Lex Salica princi-  
 pibus & nobilioribus quibusdam peculiaris fuit. Non<sup>35.</sup>  
 defunt quidem qui dictam legis Salicæ dispositionem,  
 non de Regum vel Principum successione, sed de re agraria  
 capiunt; Unde *Hottomannus Francogallia c. 8.* opinatus est  
 in controversia componenda inter Eduardum Anglum &  
 Philippum Valesium de Regia successione, rectius per-  
 petuum usum Regni istius, quo foeminae à corona fuerunt  
 exclusæ, quam Legem Salicam considerari debuisse; Ve-  
 rum quoniam alias usus, Jurisprudencia docente, opti-  
 mus legis interpret est, *Callistratus in l. 37. ff. de LL.* & ver-  
 ba ipsius legis non incommode de Regum vel Principum  
 successione exaudiuntur, hoc quoque à *Gryphiandro* ve-  
 rius asseri putamus cum *Bodino lib. 6. de Republ. n. 745.* ver-<sup>36.</sup>  
 ba istius legis ex *t. 62.* ita referuntur: *De terrâ Salica nulla*  
*portio hereditatis mulier veniat: sed ad virilem sexum tota*  
*terra hereditas perveniat;* Ut ita cuiq; de eorum sensu con-  
 stet haud ex difficili. Exinde nullos aberraturos credi-<sup>37.</sup>  
 mus qui Salicam legem non à Saliis, quo nomine Fran-  
 cos fuisse appellatos non diffitemur, sed à Sala quæ vox in  
 Legibus Alemannicis Domū denotat, derivari putant, quasi  
 legem quæ Domus sc. Principum jura complectitur. Imo  
 hodie adhuc libri censuales, vel qui censum Domini, re-  
 ferunt

ferunt Saalbücher vocantur *Aventin. lib. 6. Annal. Boj.* Eundē  
 in modum Saalleute quasi pares curiæ nuncupabantur,  
 & Saal-Brieffe attestata curiæ vocantur. *Dnus Lud. Chri-*  
*stoph. Dilherr. in additam. ad Thesaurum Pract. Besoldi verb.*  
 38. Saal-Recht. Ex quibus nunc fluit quoniam in Clivensibus  
 & adjacentibus terris in feudum foeminae admittuntur pro-  
 pter usum juris Francici ibi recepti, Lex Salica vero eas  
 39. a successione arcet, illud hic, non hanc, usu obtinere. In  
 Annotationibus ad *Fridericum à Sande* in consuetudines  
 Geldriæ, *Tractatu I. tit. 3. c. 1. §. 7.* Monetur quidem feu-  
 da Clivensia pro masculinis haberi, nisi in investitura ali-  
 ud actum sit; Et Dd. qui monitum hoc secuti sunt, as-  
 ferunt eadem masculina & propria secundum consuetudi-  
 nes feudorum Longob. censerī, nisi quod deficientibus fi-  
 liis succedant filiae, verum hoc de quibusdam saltem feu-  
 40. odis juxta diversas investituras intelligetur forte; Historia  
 41. enim fide digna testatur integrū tractum Clivēs. olim in suc-  
 cessionibus jura Francorum servasse, quæ successione  
 lex alia longe quam in feudis masculinis, & juxta jus Lon-  
 gobardorum, rectis est. Imo Doctores practici Belgici, uti  
 supra ex *Christineo* adduximus, in controversiis feudali-  
 bus intuitu successionum decidendis, ægre Longobardo-  
 rum jus feudale admittunt; Quamvis in aliis materiis  
 praxis hodie in curia Clivensi hoc jus non raro sequa-  
 tur. Quod itaque de quibusdam feudis imo plerisque  
 in curia Clivensi juxta diversos formulas investiturarum ibi  
 receptum reperitur, ad generalem consuetudinem ex-  
 42. tendi non potest. Remanet itaque generaliter integrum i-  
 stum tractum cum adjacentibus, in feudorum successione  
 jus Francorum sequi, ubi consuetudo specialis vel inve-  
 43. stiturarum modi aut pacta aliud non statuunt. Et hinc  
 cum de successione ipsorum Ducatum Juliae Cliviae Mon-  
 tium

tium & Comitatus Marcani &c. Inter illustres Domos  
 quasdam controversia oriretur, ex veriori Jus Francorum  
 respexerunt, ipsi controvertentes. Quibus juris Francorum<sup>44</sup>  
 intuitu positus, in Ditionibus hisce istud in feudorum suc-  
 cessione perpetuo vel ab immemoriali tempore obtinu-  
 isse; haud ex vero sensisse eos oportet, qui statuerunt *Jo-*  
*hannis* parentis & filii Cliviæ Ducum ac Marcæ Comi-  
 tem privilegio demum Anno 1510. lato, filias ac foeminas  
 ad feudorum Clivensium & Marcanorum successionem  
 fuisse admissos, quod sensisse videtur *Frid. à Sande supra*  
*d. loco §. 8. n. 6.* Nam quamvis in privilegio dicto filias ac foe-<sup>45</sup>  
 minas ad eadem quoque admittendas esse statuatur, & qui-  
 dem verbis: *So wol op den Dochtern als op den Sohnen.*  
 Non tamen inde inferre est, id demum privilegii dictis  
 esse sancitum, sed confirmatum, prout etiam verba ex-  
 pressa ab eodem *à Sande d. loco* recitata se habent: *Confir-*  
*miren und bestâtigen vor uns unsern Erben &c.* Nec obstat<sup>46</sup>  
 quod forte objici posset inibi quoque haberi verba: *wy*  
*hebben gegeven und geven/* Non raro enim Principes in di-  
 spositionibus vel etiam Recesibus aut LL. loquuntur ac  
 si ipsi eas tulissent, cum tamen ab Antecessoribus jam la-  
 tas tantum confirmaverint. Exemplis id probare non o-  
 pus est; pro multis, in Cæsareo Justiniano jure non pau-  
 ca occurrunt, quibus ab Antecessoribus latas leges suas  
 facit Cæsar, & tales pronuntiat. Quod nobiscum sentit *Dnus*  
*Feltmann. de Jure in re & ad rem, c. 16. n. 13.* expresse asse-<sup>47</sup>  
 rens, si res curatius consideraretur, dictorum Ducum Cli-  
 vensium privilegium, haud nove foeminis successionem  
 tribuisse, sed renovasse saltem & diu ante eandem jam ob-  
 tinuisse successionem. Et in *d. Assert. success. Brandenburg.*  
*in Ducat. Jul. Cliv. fol. 38.* uti in cæteris omnibus, sic hoc in-  
 tuitu solide fuit demonstratum. Sicuti verò diximus jus<sup>48</sup>  
 Fran-

Francorum generali fere harum Ditionum consuetu-  
 dine quoad successionem fuisse observatum, sic in  
 cæteris Feudorum horum qualitatibus præter consue-  
 tudines locorum speciales, ad quas multa Feuda è curia  
 Clivenfi conceduntur, praxis docet, ex Longobardorum ju-  
 re cõmuni non pauca usu fuisse approbata, & in decisio-  
 nibus causarum contingentium observari, de quibus in se-  
 49 quentibus agendi occasio commodior erit. Meminimus  
 ex *Christiano v. 4. dec. 212. n. 81.* adduxisse nos, generali Bel-  
 gii consuetudine & Terrarum quæ olim Belgicis juribus  
 fuerunt accensita jus Longobardorum non fuisse serva-  
 tum, sed reprobatũ magis, imo in casibus dubiis ubi consue-  
 tudines & statuta deficiunt non ad hoc, sed Romanum  
 50 jus commune recurari. Sed licet hoc obtinuerit antiqui-  
 tus, & nunc in plerisque Belgii provinciis servetur; præter suc-  
 cessionum materiam tamen uti supra dictum & ubi curiæ  
 cõsuetudines non disponunt aliter, ad jus commune Feudo-  
 rũ uti id in integra hodiè Germania receptum, Jctos & Judi-  
 51. ces ad illud non raro recurrere accepimus. Ut verò formu-  
 las investiturarum quibus in curia Clivenfi feuda concedi  
 solent accedamus, cujus effectus singulæ sint, curatius  
 paulo explicare juvat. Cum verò Jureconsultorum nemo,  
 quorum tamen elimatæ eruditionis & fama celebres multi  
 sunt, singulatim has, qua novisse datur, non tradiderit, ve-  
 niam speramus, si modeste quid nos opinemur, hic trada-  
 mus. Præcipue quod nemini in eo dissentienti controversiã  
 moturi simus, sed solius veri causa & quid probabilius vi-  
 deatur hoc deducam. Sin praxis loci hoc vel istud aliter fe-  
 rat, eam haud arguimus, sed edocti illam quoq; seque-  
 52. mur & amplectemur libenter. Species verò supra *num.*  
*14.* recensitæ Feudorum pleræq; absolute vel in suppo-  
 sitione simplici spectatæ masculinæ sunt, nec ad foemi-  
 nas



nas transitoriaë nisi specialiter id actum esse appareat. In  
 suppositione verò personali seu respectivè considerata  
 qua additur tò *Elevische* ad foeminas quoque, sexus tamen  
 & ætatis habita prærogativa transeunt. *arg. eorum que de Gel-*  
*triciis Feudis habet à Sande d. l. §. 4. n. 3.* Nam uti fufius supra<sup>53.</sup>  
 deductum *Clivia Regni Lotharingici* partem olim constitu-  
 it & ejusdem juris cum Belgicis provinciis fuit reputata.  
*Affert. Succ. Brand. in Duc. Jul. Cliv. mont. & c. fol. fol. 6. in princ.*  
 ficque Francorum jus cum reliquis ejus Tractus Regio-  
 nibus agnovit. Et licet pedetentim quædam alia jura  
 consvetudine receperit & à veteri jure Francorum in  
 quibusdam recesserint, in successioneibus tamen & ubi  
 immutatio, quæ facti est, doceri non potest, pro antiquo  
 jure quo imbuta fuit, semper præsumitur & in dubio  
 ad id recurritur. Nec obest quod formula tho *Elevischen*  
*Manlehn* videatur solum mares admittere non foeminas;  
 id enim procederet, si feudum hoc absolutè & ex con-  
 svetudine Longobardorum consideraretur. Cum verò  
 consvetudo harum provinciarum & Francorum jus quod  
 ab immemoriali penitus tempore secutæ sunt, generali-  
 ter foeminas deficientibus masculis admittat, formula  
 quoque hæc de substrata materia intelligenda, & pro con-  
 svetudine generali locorum accipienda. Ratione acquisi-  
 tionis forte fuerunt masculina, & masculi quoq; quam-  
 diu supersunt succedunt, deficiente vero prole mascula  
 ætatis habita prærogativa foeminæ quoque succedunt.  
*Frid. à Sande ad consvetud. Geldr. d. l. §. 1. n. 21.* Imò si non<sup>56.</sup>  
 omnes, pleriq; tamen Feudistici juris Doctores conce-  
 dunt, sicubi consvetudine foeminæ ad successionem  
 feudi admittantur, licet investiturarum verba in heredes  
 mares concepta sint, foeminas tamen à successione ideo  
 non excludi, sed pro consvetudine loci generali admitti.

*Rosenthal de Feud. c. 1. conclus. 13. ibiq; in partes allegati &*  
*c. 7. conclus. 36. n. 4. Schurff. cent. 1. consil. 66. n. 9. Masculinum*  
 enim natura sua foemininum comprehendit, neq; in con-  
 cessionibus principū, benignius interpretandis, respuit l. 62.  
 57 ff. de Legat. 3. *Schrader. de feud. c. 10. concl. 5. n. 47. Bald. in cap.*  
*ad auditorem X. de Rescript.* Idcirco quando feuda in cu-  
 ria Clivensi concessa sunt Eлевische Lehne / Lehn tho Eлевi-  
 schen Lehn-Rechten / Eлевische Manlehne / Eлевische Lehne wie  
 58. die gelegen. ejusdem conditionis quoad successionem re-  
 putantur. Nec alius conditionis sunt Eлевische Fünff-  
 marck's Lehne / Eлевische pondige Lehne / Eлевische Dienstmans-  
 Lehne / Eлевische Rittescheids = Lehne nam licet feuda ista  
 ratione laudemii, prout vocant, vel potius ejus quod pro  
 servitiis Domino inde præstatur, ita dicantur *Fr. à Sande*  
*d. l. §. 4.* rationi tamen generali successionis in locis iis  
 59. consuetæ non derogarur. Eлевische Burglehne s. castren-  
 sia feuda æquè ut alibi plerumqve esse videntur, quæ ali-  
 cui concessa sunt, ut Dnum in castris defensione vel admi-  
 nistratione juvet, aut ei assistat, aut in eo Domini nomine  
 jus dicat *Rosenthal de Feud. c. 2. qv. 78.* Et licet id plerumq;  
 masculinum reputetur *Knichen p. 1. c. 4. n. 40.* hic tamen  
 60. ejusdem cum reliquis ejus loci feudis esse statuitur, nisi  
 exceptio doceatur. Dienstmanslehn vero & Rittescheids-  
 Lehne sic in se differre videntur, quod ista sint feuda non  
 Nobilia gemeine Lehne & pro quibus non equestria sed vul-  
 61. garia servitia præstari solita sint; Hæc vero pro quibus  
 equestria vel ab equitibus solita præstari solent. Sunt  
 etiam feuda quæ vocantur Sattel-Lehne & formulis se-  
 sequentibus conferri solent. ten Sadellehns = Rechten / tot  
 Sadelsehen Lehn-Rechte / tod een Sadelgoeds Rechten. Tot  
 Sadelgohts Lehn-Rechten / veletiam tot Zutphenschen Sa-  
 tel-Lehns-Rechte vel tod een Sadel-Lehn tot Zutphenschen  
 Rech-

Rechten. Ein Sattel-Lehn vocatur quod servitiorum feu-  
daliū loco equum instructum præstat *Frid. à Sande se-  
pa d. loco §. 3. in fin.* Sattelfreye Gühter verò dicuntur. 62.  
bona à tali servitio immunia. *Dnus Conringius* quidem 63.  
*de origine I. Germanici c. 7. p. 33.* autumat, imperitè Sattel-  
freye Gühter in Germania nunc pari, cum Saalfreye Gühter  
dici debuissent; verum licet in superiori Germania quæ-  
dam ejus nominis occurrant, quæ ab omnibus oneribus  
vacua. Non tñ. inde inferre est, non inveniri & vocari Sat-  
telfreye Gühter / quorum in Germania inferiori & adjacen-  
tibus Terris numero plura reperiuntur, quæ ab instru-  
cto equo præstando quidem, sed non ab aliis oneribus, uti  
Saalfreye Gühter / sunt immunia. Et licet usus doceat 64.  
Sadel oder Sattel-Lehngüter in foeminas non cadere  
regulariter, in locis vero iis ubi generali consuetudine  
foeminae ad successionem vocantur, ideo à successione  
non arcerentur quod feudum concessum sit tot ene  
Sadelgoet per jura supra deducta, nisi ex aliis circum-  
stantiis aliud statutum esse appareret. Qua occasione 65.  
observari meretur aliud esse Feudum Francum, quod cõ-  
munium servitiorum purum est, & forte in locis quibus-  
dam Saalfrey appellatur, aliud vero ubi jure Francorum  
succeditur uti in Belgicis & adjacentibus provinciis. *Pres.  
in Commentar. ad Jus Feudale in lib. 1. Feud. 1. §. 3. ad verb:  
nisi singulariter dictum sit n. 8.* Nam illud ideo sic vocatur  
quod liberum est, hoc verò quod juxta Francorum ju-  
ra e. g. ratione successionis aestimatur. Et licet in utro- 66.  
que foeminae succedant, id tamen ob rationem diversam  
& modo dissimili fit *Dd. ad d. 2. F. 104.* Quod verò mo- 67.  
do assertum fuerit in Belgicis & vicinis iis provinciis,  
quando foeminae ex generali loci consuetudine admittun-  
tur, clausulas vel formulas concessionis juxta istam con-

s̄vetudinem generalem intelligendas, non speciales for-  
 mulas generali Regionis cons̄vetudini, nisi expresse id a-  
 ctum appareat, derogare; non solum in his provinciis u-  
 su tenet, sed etiam in Feudis Regalibus Imperio Roma-  
 68 no-Germanici obtinet. Si enim constaret in Regionem  
 vel Teritorium aliquod foeminas quoq; admitti, uti ta-  
 lia ibi non pauca reperiuntur, harum successioni non prā-  
 judicaret licet concessa essent zum Reichs- oder Fürsten-  
 Lehn / Nam praeter alia ejus conditionis Feuda, Braban-  
 tia, Austria &c. hodie adhuc in feuda recta Ducalia vel  
 principalia aut Regalia Fahnlebne recognoscuntur; Foemi-  
 nae tamen, uti intuitu Regionum istarum receptum, nihi-  
 69 lominus succedunt. In supra allegato privilegio Johan-  
 nis patris & Filii Cliviae Ducum, dicitur quidem debere  
 admitti filias aequè ac filios So wol auff die Töchtere als  
 Söhne & inde videri possit non sexus habita praerogati-  
 va, sed simul cum filiis eas admittendas esse, quod in si-  
 mili casu sensisse visi sunt *Carpzov. lib. 6. t. 8. Resp. 82. n. ult.*  
*Vvesenbec. consil. 6. n. 23. vers. quo circa si in illa & consil. 74.*  
 70 *n. 24.* verum quoniam de natura juris communis feuda-  
 lis est, etiam quando pacto vel privilegio foemina ad suc-  
 cessionem feudi vocatur, sexus habita praerogativa id  
 semper intelligi, nec tali casu foemina admittetur do-  
 nec superest masculus *2. F. 12. ferè in fine 1. F. 8. §. filia.*  
 Nam vocabula ista, filia & filius, vel filiae cum filiis, vel filiae  
 71 aequè ac filii, aut simul cum filiis, verba quidem co-  
 pulant, ut sc. foeminae quoque admittantur, sed non sen-  
 sum, verum tantum ordinem succedendi monstrant, sc.  
 ut non extantibus filiis demum succedant. *Mynsing. cen-*  
*tur. 5. obs. 74. n. 3. Vultejus de Feud. lib. 1. c. 9. n. 49. p. m. 429. §.*  
 72 *432.* quamvis de jure Caesareo particulae cum ac & simul-  
 tatem & sine discrimine idem denotent. *l. 63. §. 2. ff. de*  
 Le-

*Legat. l. l. 40. ff. de usufr. legato*, de jure feudali communi  
 tamen aliud est. Nam isto jure foeminae per se aequè  
 successione ac mares capaces, & sic testamento vel jure  
 Legati cum mare vocati aequè succedere posse reputan-  
 dae, sed contra hoc jure dispositum est, ut feudorum ca-  
 paces non statuuntur, nisi pacto vel investitura vocatas  
 esse satis evidenter appareat, quod ex dictis formulis non  
 patet. Ubi enim singulare quid, vel expresse quid fi-  
 eri debere exigitur, verba omnia aequipollenria non sem-  
 per ejusdem effectus sunt, uti in *l. 3. c. de fidejussor.* imo  
 pro hac sententia Curiae Clivensis praxis loqui videtur.  
 Etiam si verò supra generaliter assertum sit, Jus Franco-  
 rum in Ducatu Cliviae & adjacentibus Terris sicuti in Bel-  
 gicis provinciis successione intuitu fuisse observatum,  
 & in dubio pro eo in ejusmodi causis praesumi; In Feu-  
 dis tamen quae à Clivensi Curia conferuntur plerumq;  
 si non semper, feuda à praedecessoribus in heredes feudales  
 tam mares quam foeminas translata, aequis partibus divi-  
 duntur; major natu inter filios tantum potissimam domum  
 cum appertinentibus, & si defunctus plures domos Rit-  
 tersitze haberet, proxima post optimam secundo genito, &  
 sic deinceps relinquuntur, modo succ. capaces sint, alias po-  
 tissima ad secundo genitum, vel eo quoque incapaci, ad  
 tertio genitum & c. pertinebit. Reliqua bona aequaliter inter  
 ejusdem sexus dividuntur. Si vero mascula proles non  
 adesset, eadem succedendi ratio inter foeminas successio-  
 ne, linea, & gradu, proximas servatur, etiam cum prae-  
 rogativa habendarum principalium domuum, sicuti in pri-  
 vilegio *supra alleg. Johannis Patris & Filii Ducum Cli-  
 vensium de Ao. 1510.* expresse disponitur & *Frider. a. 79*  
*Sande ad consuetud. Geldr. recenset d. §. 8. n. 6.* Domus  
 vero principalis nomine notari Rittersitze vel quae extra

- civitatem muris & vallis continetur, denotavimus; Burgensium bonorum intuitu vel in iis quæ in villis extra respectum talem habentur, majores natu nullam prærogativam habent, sed in divisionem veniunt *Recess. prov. Clivensis de Ao. 1660. §. Das auch.* An verò major natu præsertim si bona satis commode dividi non possint iusto pretio reliquas portiones redimere valeat disquiri posset; verum quoniam in d. diplomate Johannis expresse dicitur *Wederstadinge oder Deilinge doen* / in arbitrio majoris natu esse videtur, an redimere velit eas, vel non, invitus tamen ad redimendum cogi non potest. Quod innuit etiam *Duus Feltman. de jure in re § ad rem c. 16. n. 24. § 25.*
80. Cum autem de bonis equestribus ratione istius prærogativæ dictum fuit, ejus capaces non reputandi, nisi qui ordinis equestris in his Ditionibus & quidem à primo acqvirente descendentes sunt. Extranei vero qui scilicet indigenatus jure in his Terris non gaudent, vel ordinis civici sunt, privilegii hujus non capaces sunt, ex *Sande* allegato loco *D. Feltmannus d. l. n. 23.* Præterea verò juxta ordinem juris communis vocantur, & quidem primæ debentur lineæ descendentiæ; quorum nomine non solum Legitimos per subsequens matrimonium, sed etiam per Rescriptum Principis intelligimus, cum harum Terrarum consuetudine admissos esse exemplis probari potest, de quibus à *Sande dict. §. 1. n. 3.*
81. Adoptivi verò, & naturales sicuti de jure communi Feudorum à successione, hic quoque moribus Curia clivensis arcentur, etiam si à matre relictum feudum sit; Curia enim tales, etiam si aliàs matri succederent, non agnoscit. Graduum propinquitatis quæ hic consideratur æque in Clivensi curia juxta juris civilis non canonici ductum computatur. *arg. 2. F. 37. verb. ad ordinem*
- 82.
- 83.
- 84.

*nem gradus qui continetur in LL.* Repræsentationis qui-85.  
dem jus provinciis hisce uti Geldricis & Zutphanicis ju-  
ribus olim incognitum fuisse videtur, postea receptum  
inibi, & in feudis clivensium more concessis adhuc serva-  
tur. Descendentium linea deficiente, ad collaterales sed 86  
à primo acquirente descendentes devolvitur successio, à  
*Sande* tamen in Clivensibus feudis id peculiare vult. *ad*  
*Consuet. Geldr. Tr. 1. t. 3. c. 2. §. 7. n. 3.* quod eo sola graduum hic,  
non linearum habeatur prærogativa, ita ut patruus in  
propinquiori gradu constitutus præferatur fratris nepoti,  
in propiori licet linea constituto, & fratris filius præ-  
feratur alterius fratris nepoti, licet in eadem linea con-  
stituto. Ut sic non tam communi parenti quam ultimo 87.  
defuncto propter gradus propinquitatem succedatur, quod 88.  
tamen universale non est. Secus quam de Jure Feuda-  
li communi ubi non solius gradus sed etiam lineæ præro-  
gativa spectatur 2. *F. 50*; *Vultej. de Feud. c. 9. num. 11. Struv. 89*  
*in Syntagm. F. cap. 2. aph. 7.* si autem in eadem linea plures sint  
gradus agnati propinquitatis ab ultimo defuncto compu-  
tata servatur. In Zutphanensibus vero vel quæ more Zut-90  
phanensium sunt concessa, sola propinquitatis gradus nul-  
to respectu an à primo acquirentis sanguine descendat qui  
succedere cupit an non, admittitur. Quod quidem cum  
Flandricis, Brabanticis, Geldricis, Monforticis, Traje-  
ctensibus &c. commune habent, ut propinqui lineæ mater-  
næ si ultimo defuncto gradu propiores sint, in feudis pa-  
ternis admittantur, & vicissim propinqui paternæ in ma-  
ternis feudis succedant. Sed ipsi qui ex paterna linea 91.  
sunt ad maternorum feudorum successionem & contra,  
non adspirant. *Frid. à Sande sepe d. l. c. 2. §. 7. n. 2.*

Ascendentium sicuti de Jure communi Feudorum  
regulariter 2. *F. 50.* verb. *quod ascendentes non succedant.*  
ita

ita quoque in Feudis Clivenſium more conceſſis nulla  
 92 eſt ratio. Iis vero caſibus quibus de jure communi feu-  
 dali admittuntur, etiam hic non arceri opinamur. Uti in  
 Feudo antiquo, ſi pater in filii gratiam feudum reſutaverit,  
 vel ejus voluntate ad eum vel nepotem pervenerit; non  
 tamen eo ſe penitus abdicaverit 2. *F. 14.* juncta 2. *F. 49.* In  
 93 novo feudo vero quando hoc expreſſe, vel per juſtam  
 conſequentiam actum ſit. In Feudis autem Zutphani-  
 cis vel Zutphanienſium more conceſſis, quoniam magis  
 quam alia feuda ad allodialium naturam accedunt.  
 Ascendentes collateralibus omnibus excluſis admittun-  
 tur, ita ut, ſicuti de jure communi eis caſibus quibus A-  
 ſcendentes admittuntur, frater defuncti etiam in antiquo  
 feudo non ſimul ad feudum adſpirat, ſic quoque nec in  
 94 his feudis: Nam hoc jure ſingulari veluti non jure uni-  
 verſali debetur patri, & deinde pater quoque hoc intu-  
 itu gradu propior eſt fratre defuncti, cujus propinquitas  
 95 hic ſucceſſionem efficit. Quemadmodum verò in reli-  
 quis ſucceſſionis hujus ſpeciebus mas foeminae, & in ejus-  
 dem ſexus conditione major natu minori præfertur, hic  
 quoque inter æquè propinquos non conſiderata linea,  
 mas foeminae antefertur, pater excludit avum, proavum  
 96 & alios remotiores. Avus paternus & avus maternus  
 ſoli ſuperſtites, uter eorum ætate major in ſucceſſione,  
 potior eſt, quod fuſe deducit *Frider. à Sande c. 2. §. 19. p. 2.*  
*n. 10. & ſeqq.* Sed de reliquis feudorum Zutphaniensi-  
 97 um more conceſſorum juribus, modo fuſius agetur; An-  
 tequam verò ad ea tranſeamus, notari meretur, in feudis  
 clivenſium more conceſſis hoc intuitu peculiare eſſe quod  
 filiae equeſtris ordinis ſine conſenſu parentum ſuorum  
 nubentes, à ſucceſſione eorundem excludantur; nec legiti-  
 mæ prætextu quicquam prætereſſe poſſunt per *d. Receſſ.*  
 pro-



provincialem *de Ao. 1660. §. So lassen in fine & §. Wel-*  
*ches wir.* Quod ne invitis parentibus heres vel per conse-  
 quentiam quis inferatur Familiæ dispositum esse reputa-  
 tur. Ipsam Zutphanici juris indolem quod attinet, mul- 98.  
 tum à cæteris præsertim successionis intuitu peculiare ha-  
 bet, quod maximam partem recensebimus: præterquam  
 quod supra jam adductum, solius propinquitatis gradus  
 inter collaterales habetur ratio, non lineæ; in descentibus,  
 quorum hic potior ratio, si ejusdem gradus sint, non o-  
 mnes admittuntur simul, sed primo sexus, deinde inter  
 ejusdem sexus liberis ætatis habetur ratio, ut sive filius  
 sive filiis deficientibus filia, major natu in feudum succe-  
 dat, Juniores tamen fratres vel sorores in trientem Feu- 99.  
 di admittuntur, ita tamen ut majori natu integrum sit,  
 trientem redimere & justum pro eo pretium reddere,  
 junioribus, non secus quam bonorum parte legata de ju-  
 re Cæsareo Romano heredis electio est, an ejus æstima-  
 tionem, an ipsam rem legatam solvere velit *l. 26. §. 2. ff. de*  
*Legat. 1.* integer quippe triens inter plures, si adsint, filios  
 vel si non adsint, inter filias dividitur. In æstimatione ve- 100  
 rò hujus trientis incunda, major natu nihil habet præci-  
 pui, sed domus principalis & omnia feudis cohærentia,  
 imputantur. Et sicuti in similibus fieri solet, ita hic quan-  
 ti res in præsentivalet, æstimari solet, ita ut si feudum em-  
 ptum à quodam decedente vasallo relinquatur, non em-  
 pti sed præsentis temporis, cum divisio incunda, habetur  
 ratio. Si vero pretii ejus intuitu, vel ipsius trientis inc- 101  
 undi ratione convenire non possint partes, res ad arbitri-  
 um Domini refertur, qui ex æquo & bono controversi-  
 am componet. Sicuti enim in similibus casibus plerum- 102  
 que, sic hic Domino Autore quando major natu rem da-  
 re optat, separatio fieri solet. Quando vero major natu 103

D

de

demortuo parente ex relictis feudis trientem minoribus  
 dedisset, & matre defuncta in feuda ab ista relictâ succe-  
 deret, ex eadem ratione denuo trientem junioribus fra-  
 tribus vel iis deficientibus fororibus concedere deberet,  
 ex novo enim lucro, à lege vel consuetudine imposi-  
 tum onus ferre teneretur. An verò triens hic ab iis qui  
 104 eum consecuti sunt, eodem modo quo feudum antea  
 integrum sc. ut vicissim major natu reliquis ex hoc alium  
 trientem relinquere teneatur, dubium videri posset, quod  
 in nimium minutas partes totum divideretur, sed pro ra-  
 tione totius, partes proportionabiliter fieri necesse est, &  
 sic non quantitas respicienda, cum hujus juris respectu  
 major natu trientem, non interest quantum, relinquere  
 105 teneatur. Ipsi juniores trientis sui nomine non præcise  
 se in clientelam majoris natu dare tenentur, sed integrum  
 ipsis est, an separatas suas partes immediate in Dni. clien-  
 telam conferre, an majori natu se pro suis portionibus  
 submittere malint, ut is eadem fidei præstatione apud Do-  
 minum superiorem eos exoneret. *p. Christinaus de F.  
 Ducatus Geldr. Tit. de feud. concessis ten Zutphenschen Rech-  
 ten vers. Juniores trientis sui nomine.* Post Descendentes  
 106 Ascendentes hic vocantur: Uti enim de jure communi tri-  
 plex succedentium ordo est, sic hoc jure in feudis esse  
 consuevit. Post descendentes & Ascendentes colla-  
 terales succedunt, gradus, sexus & ætatis discrimine ser-  
 vato, lineæ hic, an à primo acqvirente descendant, an non,  
 an fratres uno, an utroque latere juncti sint, non cura-  
 tur. Sed uti dictum gradus, sexus & ætatis tantum habetur  
 ratio. De quibus Sicambiorum vetus monitum apud  
 107 *Frid. à Sande sepe d. l. n. 4.*

Dat naeste Dieff  
 Die Man voer t' Wyf  
 D' Olste ob der Straten.

Fra-

Fratrum filii si soli sint, juxta sexus & ætatis prærogati-<sup>108</sup>  
 vam ad successionem admittuntur; post eosdem cæteri  
 collaterales, juxta sexus & ætatis prærogativam vocan-  
 tur; Ejusdem autem gradus collaterales trientis ex feudo<sup>109</sup>  
 non sunt capaces, uti tn. in descendibus servabatur, sed  
 sexu & ætate prior ac gradu proximus integrum capit. Et  
 sic nepos ex forore præfertur nepti ex forore, nepos ex  
 forore major natu excludit nepotem ex fratre minorem  
 natu. Eodem modo si quis ex feudo paterno vel ma-<sup>110</sup>  
 terno trientem vel ex triente partem obtinuisset, & sine  
 liberis decederet, triens vel pars trientis integri non ad  
 omnes superstites, sed ad proximum gradum sexus & æ-  
 tatis prærogativa servata pertineret. Quod fusius apud  
*Dn. Sande d. l. tit. 3. §. 19. p. 3.* videre est. De Ascendentium<sup>111</sup>  
 successione hic parcius egimus, quod supra de iis commoda  
 occasio agendi n. 91. fuerit. Cæterum si contingeret ex<sup>112</sup>  
 primo acqvirente non superesse descendentes vel juxta in-  
 vestituræ tenorem successionis capaces, feudum Clivense  
 quidem Domino aperitur ut de jure feudorum com-  
 muni fit; Dominus tamen tantum annum & diem more  
 Clivensium id retinet, & fructus inde percipit, sed quan-  
 do proximis ipsi primo acqvirenti, licet conjunctam ma-  
 num vel simultaneam investituram non habuerint, mari-  
 bus & foeminis, sexus habita prærogativa vicissim concede-  
 re tenetur, per supra allegatum privilegium à *Sande d. l.*  
*p. 104. in fine recensitum. Johannis Ducis Clivia de Ao. 1510.*  
 Quod de feudis antiquis & infeudari solitis, extra dubium<sup>113</sup>  
 est, sed si Princeps iis territoriis rem infeudari antea  
 non solitam alicui novè in feudum daret in modum feu-  
 di novi, & si primus acqvirens sine liberis decederet, feu-  
 dum Domino eo casu apertum forti privilegii istius non  
 subjaceret, sed in liberam ejus dispositionem recideret. Ex<sup>114</sup>

contextu quippe istius privilegii apparet, de feudis anti-  
 quis id intelligendum, & sicuti alias in concessione feu-  
 dorum omnia strictè sunt intelligenda, ita quoque respe-  
 ctu talis Feudi præsertim quod, uti supra innuimus, feuda  
 pleraque hic videntur esse oblata, quæ liberius à Domi-  
 nis semper sunt concessa, quam data, ubi Dnus, quam mi-  
 nimum per nexum feudalem fieri potest, sibi præjudica-  
 se præsumitur. Sed quoniam hanc controversiam ab a-  
 liis decisam non reperimus, melius sentientium iudicio  
 II5. salvo sic statuimus. In plerisque cum Clivenfibus vel mo-  
 re Clivenfium concessis feudis Marcana feuda conveni-  
 unt, laudemii tantum modo pro renovatione investituræ  
 II6. solvendi intuitu differre videntur. Cliviaca enim duplo  
 majore pretio redimi perhibentur, quàm Marcana. Ubi enim  
 cliviacus Domino quindecim aureos sc. pro consuetudine  
 Regionis Goldgülden/ibi Marcanus quinque pendit. Mi-  
 nistris tamen Domini vel Cancellariæ feudali uterque æ-  
 qualiter solvunt. Quid verò ministris pendant refert *Felt-*  
 II7. *man. in Tract. de jure in re & ad rem n. 3. & 4.* Quæ ho-  
 noraria vel laudemia de feudis Zutphanicis aliarum-  
 que Curiarum vicinarum more Domino pendantur,  
 refert *Frider. à Sande Tract. 2. lit. a. cap. 3.* per integrum;  
 II8. describere eadem hic non vacat. Est vero laudemium  
 certa pecuniæ summa vel ex conventionem certa res pro  
 consuetudine cuiusque curiæ Domino pro investitura  
 II9. quibusdam casibus solvenda. De jure communi Lon-  
 gobardorum Feudali, Laudemii vis, uti hic supponi-  
 tur, ignota est; Fundamentum enim quod dissentientes  
 ex *1. F. 24.* desumunt, parum stringit; verbum enim *re-*  
*demerit* quod ibi habetur, contextu ejus tituli teste, lau-  
 demii vim non exprimit, sed potius hunc sensum habet;  
 filia non succedit in feudum nisi feuda *redemerit* i. e. im-  
 petra-

*petrauerit à Domino*; cum enim de feudis datis tantum  
 eo jure agitur, quæ merum beneficium erant, laudemii  
 non poterat tunc haberi ratio, sicuti historia & verus e-  
 jus ævi beneficiorum genius docet. Hodie quidem con-120  
 suetudine plerorumquæ, si non omnium, Germaniæ loco-  
 rum inolevit, pro investituris novis vel iis renovandis a-  
 liquid solvi Domino, & iis qui feudorum Cancellariæ præ-  
 sunt vel ei deserviunt, *Frantzkius de Laud. c. 2. num. 28. &*  
*seqq.* Verum proprie Feudis gratuito nexti debito ni-121  
 hil eo decedit; Et sic gratis sive data sive oblata feuda con-  
 ferri optime adhuc dicuntur. Quid enim tantillum hoc  
 quod laudemii nomine solvitur ad fidem & clientelam  
 quam Dominus vasallo præstat. Si in jure Cæsareo gra-  
 tis fieri dicitur licet honorarium intervenerit, uti e.g. ra-  
 tione mandati *l. 6. ff. mandat.* cur feudum gratis non con-  
 ferri diceretur, ubi honorarium intervenit & cum petita  
 renovatione solet offerri. Imo in Clivensi curia adhuc122  
 conferuntur feuda quæ dicuntur *ledige Lehne / Lehne mit*  
*lediger Schlippen* / quæ nihil aliud sunt quam feuda à lau-  
 demio immunia *D. Feltm. d. l. c. 16. n. 10.* Quantum ad u-123  
 niversales Germaniæ mores Cæsari pro investitura Feu-  
 dorum Regalium vel ea renovanda non datur laudemi-  
 um ex vero, sed officialibus certum tantum offertur hono-  
 rarium; quod firmare videtur *Instr. Pac. Osnabr. Art. 5. §. 6.*  
 quando ib. disponitur *ultra taxæ ordinariæ summam insu-*  
*per ejus dimidium pro infeudatione pendant.* Ubi quod ta-  
 xæ nomine venit laudemii nomine proprie vocari nequit.  
 Idem, quod magis honorarium Principum Ministris qui à124  
 feudalibus sunt, quid solvatur quam propriè laudemium  
 præstetur, in plerisque Germaniæ Territoriis obtinere vult  
*Schneidem. de feud. p. 5. n. 61.* Sed hæc de Sectione  
 hujus materiæ prima dixisse  
 sufficient.

# Sectionis primæ materias exhibens

## CONSPECTUS.

1. **T**ermini explicandi prius sunt quam de ipsa materia agatur.
2. Feudi vocabulum rei, quam denotat, coævum est, Ante A.C.M. tamen in nullo fide digno instrumento vel monumento occurrit.
3. Removentur quæ Freherus objicit.
4. Probabilis ratio cur ante dictū annum non occurrat.
5. Lingua Germanica ante seculum Christi 15. literis peculiaribus non fuit scripta.
6. Quæ in contrarium adducuntur suspicione non vacant.
7. Feudi vox à Joeden est & vocabulo thum. Feudi autem pure latinitatis studiosi nō ea, sed beneficii voce usi sunt.
8. A fide derivari, allusionem magis, quam Etymologiam sapit. Quomodo vox feudi hic supponatur.
9. Lehn vocabulum synonymon feudi esse cepit in diplomatibus idiomate Germanico conscriptis.
10. Simpliciter positum efficacia vocis feudi non respondet. Boxhornius feudum à mutuum sumendo deducit.
11. Inde tamen omnium feudorum in Germania origo non est.
12. Usū vocabulum Lehnem simpliciter positum nihil aliud est quam concedere.
13. Qua ratione Feuda hic Clivensium vel Zutphaniensium more dicantur concessa.
14. Non unius conditionis ibi feuda sunt, sed juxta formulas concessionis diversa.
15. Unde in una curia tanta Feudorum diversitas sit, recensetur & ejus rationes aliqua probabiles.
16. Quid sint feuda oblata.

17. Quid

17. *Quid sint feuda data.*  
 18. *Datorum in jure feudali Longobardorum tantum mentio fit.*  
 19. *In oblatiis, qui obtulerunt bona sua modos & conditiones sub quibus eadem recipiunt imponere possunt.*  
 20. *Cum itaq; in Clivia & adjacentibus Regionibus pleraq; feuda oblata sint, liberioris saepe & varia magis conditionis sunt, quam in aliis Germania territoriiis.*  
 21. *Jus Francorum in Germania opponebatur Saxonico.*  
 22. *Qui Germania Tractus jus Francorum, qui Saxonicum absolverit.*  
 23. *Videbatur intuitu horum jurium veluti in duas partes divisa.*  
 24. *Num ob talem rationem duo Germania vicarii, vacante Sede Casarea, fuerint constituti.*  
 25. *An diversitas istorum jurium ex diversa Electione jurium fuerit, an sicuti consueverunt in Italia qua lege vivere & judicari velint, profiteri ita quoq; professi*
- sint in Germania.*  
 26. *Negatur.*  
 27. *Negationis rationes.*  
 28. *Quomodo Successiones ratione juris Franconici se habuernti.*  
 29. *Quando de jure successionis in Tractibus Clivia & adjacentium Terrarum disquiritur, regulariter pro Francorum jure praesumitur.*  
 30. *Quamvis Coloniensis Archiepiscopatus circulo Rhenano & Clivensis Ducatus ac aliae provinciae circulo Westphalico fuerint in Descriptione Imperii Romano-Germanici accensiti, juri tamen generali quo olim imbuti eo saltem nihil decesit.*  
 31. *Jus Francorum cum Lege Salica non est unum idemque.*  
 32. *Recensetur dubium ob quod aliud sensit Dnus Conringius.*  
 33. *Recensentur aliorum de iis opiniones.*  
 34. *Salica lex Reges & Principes potissimum, jus Franco-*

rum



- rum reliquos sub eo jure vi-  
ventes respexit.
35. Alii quidem Legem Salicam de agraria intelligunt.
36. Recensentur verba illius legis.
37. Derivatur Salica lex non à Salis quos Francorum aliquos appellabant, sed à Salla, quæ vox veteribus Alemannis Domum denotabat.
38. In provinciis Belgicis & Clivensibus &c. non Salica lex, sed Francorum jus obtinuit.
39. Frid. à Sande quidem monet, Feuda Clivensia masculina esse ex privilegio tamen esse, ut fœmina sexus masculini habita prerogativa succedant.
40. Sed hoc consuetudine speciali invaluit tandem, non integro juri Francorum eo, successionis quoque intuitu, derogatur.
41. Assertionis rationes
42. Conclusio ex iis.
43. In controversia ratione successionis in Ducatus Julia Clivia, Montium &c. Con-
- sensu plerorumque partium ad jus Francorum respexerunt.
44. Non itaque ex privilegio Johannis patris & filii Ducum Clivensium obtinuit fœmina ib. ad feuda admitti.
45. In privilegio dicto statuitur quidem, fœminas quoque in ea feuda debere succedere, sed inde non inferre est primò id per dictum privilegium fuisse introductum.
46. Recensetur dubium.
47. Respondetur eidem & consentientes allegantur.
48. In ceteris Feudorum qualitatibus à jure Francorum recessum & mores jus commune Longobardorum secuti sunt.
49. Non obstat assertum ex Christinao.
50. Ejus ratio.
51. Excusatio Autoris quod de rebus specialioribus & individuis earum provinciarum agere constituerit secum.
52. Species Feudorum horum in  
sup-



positione simplici masculina  
dici possent, sed non in sup-  
positione personali intuitu  
feudorum Clivensium.

53. Ejus ratio.

54. Et licet mores ut supra de-  
ductum in aliquibus circa  
feuda ista recesserint, in suc-  
cessione tamen ipsarum  
Regionum generaliter jus  
Francorum fuit serva-  
tum.

55. Recensetur objectio.

56. Et licet formula con-  
cessionis Feudorum in ma-  
res concepta sint, non dero-  
gat tamen id consuetudini  
generali istarum Regionum  
quod fœmina post mares  
admittantur.

57. Recensentur formularum in  
Curia Clivensi concessorum  
Feudorum consuetarum e-  
xempla.

58. Producentur earum adhuc  
alia exempla.

59. Quid sint Clevische Burge-  
lehne.

60. Quomodo differant Dienst-  
manslehne & Ritterscheid-  
Lehne.

61. Sattellehne quid sint &

quibus formulis soleant cõ-  
cedi.

62. Quæ sint Sattelfreye Bü-  
ther & cur Conringius aliud  
statuat.

63. Assertionis nostræ rationes.

64. Regulariter quidem Satz-  
tellehns bona non cadunt in  
fœminas, in feudis vero Cli-  
vensium more concessis in  
subsidiu non arcentur.

65. Aliud est feudum Fran-  
cum & aliud in quod jure  
Francorum succeditur.

66. In utroq, quidem fœmina  
admittuntur sed modo di-  
verso.

67. Simile quid ratione suc-  
cessionis fœminarum obti-  
net in Germania intuitu  
Feudorum Regalium.

68. Recensentur exempla.

69. Verba: So wohl auff die  
Töchter als Söhne non si-  
multaneam successione sed  
successivam inferunt.

70. Asserti rationes.

71. Alia ejus assertionis ratio-  
nes.

72. Non obstant ex jure Casareo  
rationes.

73. Ejus ratio.

E

74. Ra-

74. *Rationis ratio.*

75. *Intuitu Feudorum quæ ex curia Clivensi conferuntur, mores quomodo etiam successione ratione à jure Fræcorum recesserint.*

77. & 78. *Datur exemplum.*

79. *Domus principalis nomine quam major natu præcipuam habet equestris vel de Ritteris intelligitur.*

80. *Majorem natu portiones quæ junioribus debentur hic justo pretio redimere posse, videtur.*

81. *Prærogativa quam majores natu habent in Terris Clivens. & Marcanis capaces non sunt nisi equestris ordinis inibi reputentur.*

82. *Inter descendentes hic Legitimi per subsequens matrimonium & per Rescriptum principis reputari videntur.*

83. *Adoptivi vero & naturales ne quidem inter fæminas hic succedunt.*

84. *Graduum propinquitas in Clivensi & adjacentium curiis juxta jus civile non Canonicum computatur.*

85. *Representationis quidem jus olim in Terris istis fuit ignotum nunc pro re nata ibidem servatur.*

86. *Descendentibus deficientibus ad feuda Clivensium more concessa, collaterales vocantur.*

87. & 88. *Peculiare tamen quid ibi in curia Clivensium servari vult Sande.*

88. & 89. *Licet de jure feudali communi linea & gradus prærogativa servetur.*

90. *In Feudis Zutphanensium more concessis sola gradus propinquitas, nihil aliud spectatur.*

91. *Et proximi paternæ lineæ in materna feuda, ac contra admittuntur, qui vero ex ipsa ista linea sunt in feuda materna, nec contra succedunt.*

92. *Ascendentes quidem in feuda Clivensium more concessa non succedunt, iis vero casibus ubi de jure communi feudali admittuntur etiam hic succedunt.*

93. *In feudis vero Zutphanien-*

*sum*

summore concessis Ascen-  
dentes succedunt.

94. Frater defuncti ibi simul  
non admittitur, & quæ ejus  
ratio.

95. 96. Avus paternus & avus  
maternus, scil. superstites,  
uter eorum atate major suc-  
cedit.

96. 97. Filia equestris ordinis  
sine consensu parentis nu-  
bentes à successione eorundē  
excluduntur nec legitima  
pretextu quid exigere va-  
lent.

98. Quæ Zutphanici juris in  
feudum succedendi ratio  
sit.

99. Juniores fratres vel soro-  
res hic in trientem admit-  
tuntur

100. Quomodo triens iste esti-  
metur.

101. Si pretii vel etiam trientis  
ineundi causa convenire nō  
possint partes, res ad Dni.  
arbitrium defertur.

102. Quæ enim super feudalibus  
causis controversa, præser-  
tim in ejusmodi causis ple-  
rumq, arbitrio Domini re-  
linquitur.

103. Quando majori natu tri-  
entem ex bonis feudalibus  
paternis dedisset, & demor-  
tua matre, materna bona  
consequeretur, ex iis etiam  
trientem senioribus fratri-  
bus deberet.

104. Triens hic eodem modo ad  
descendentes uti integrum  
feudum transmittitur, ut  
major natu saltem juniori-  
bus trientem det.

105. Juniorum vero arbitrio est  
ratione portionum suarum  
in Domini clientelam dare,  
an majori natu se submit-  
tere velint, ut is una fide e-  
os apud Dnum relevet.

106. Post Descendentes Ascen-  
dentes admittuntur &  
post hos collaterales succe-  
dunt.

107. Recensetur eum in finem  
vetus Sicambrorum pro-  
verbium.

108. Fratrum filii si soli sint,  
juxta sexus & ætatis præ-  
rogativam vocantur.

909. Ejusdem Gradus collate-  
rales trientis ex feudo non  
sunt capaces, sed gradus se-

- alus & atatis potior ratio est.*  
 110. *Ejus exemplum.*  
 111. *De successione Ascendentium eo in loco parcius agitur, quod supra de iis agendi fuerit occasio.*  
 112. *In casum feudi aperti Clivensium more concessi id quidem Domino defertur, sed proximus agnatus vel cognatus aut agnati vel cognati à primo acquirente descendens id redimere potest.*  
 113. *An idem in feudo novè à Domino concessio antea infeudari solito teneat, dubitatur.*  
 114. *Ejus asserti ratio.*  
 115. *In plerisque Clivensia & Marcana Feuda conveniunt.*  
 116. *Differunt tamen ratione laudemii prestandi.*  
 117. *De Laudemiis Zutphaniensium ritu vel in aliis iis vicinis curiis prestari solitis remisivè.*  
 118. *Laudemium quid sit.*  
 119. *De jure Longobardorum Laudemii indoles ignota est.*  
 120. *Fundamentum quod dissentientes ex 2. F. 24. desumunt, non stringit.*  
 121. *Hodie pro investituris Feudorum Germaniæ in plerisque locis Domino aliquid prestatur.*  
 122. *Verum hinc nihil Feudorum natura decedit quod gratis concedantur.*  
 123. *Quanam Feuda in Clivia sint lehdige Lehn / oder Lehne mit lehdiger Schlippen.*  
 124. *An in Imperio Romano-Germanico hodie Casari pro investitura proprie laudemium prestetur.*  
 125. *An in plerisque Germaniæ Territoriis idem servetur.*

Se&io

# SECTIO ALTERA

De

## Juribus Feudorum Cliven- um vel Zutphaniensium more concessio- rum quibusdam singularibus.

**N**on infreqvens inter Doctores loqvendi modus est, **I.**  
 ac ut fertur Curiaē usu quadantenus probatus, Feuda  
 Clivenfium more masculina esse, eo excepto quod  
 foeminae Johannis Cliviae Ducis privilegio, sexus ta-  
 men habita praerogativa, admittantur; Quod in Sectione  
 prima ex Friderico à Sande deductum, & aliorum exem-  
 plis stabiliri videtur. Sed quamvis, quousque meminisse **2.**  
 datur etiam ex Historiis fide dignis, juxta mores Cliven-  
 fium foeminae deficiente mare ad succedendum capaces  
 ad feuda fuerint vocatae, propter jura Francorum quibus  
 praesertim successione intuitu Clivenfium Juliensium  
 &c. Ditiones fuerunt imbutae, inde forte proprie masculi-  
 na feuda illa ab antiquo etiam dici non possint; posito ta- **3.**  
 men olim & nunc, loquendi modum & usum sic obti-  
 nuisse ratione feudorum quae ex curia clivenfi concedun-  
 tur, aliud tamen longe est ratione successione in ipsos  
 Ducatus Juliae Clivlae Montium & Terrarum unitarum.  
 Ante Ducentos quippe annos memoriae prodita exempla  
 sunt, quibus foeminae ad successione eorum fuerunt ad-  
 missae, jure ut putatur Francorum, quod in Terris & Di-  
 tionibus hisce generali obtinuisse consuetudine nemo for-  
 te inficias ibit. Et ut eo minus de eo dubium esse possit.  
 Cum sub finem fere à nato Christo Seculi IV. provinciae **4.**

Juliacensium Clivensium Montium ad duos possessores redigerentur, Wilhelmum nempe Ducem Juliae & Montium & Johannem III. Ducem Cliviae & comitem Mar-

5. cae. Wilhelmus Juliacensis filiam suam Mariam, hujus Filio Johanni III. Clivensi eo pacto in matrimonium collocabat ut Juliae & Montium Ducatus ac Ravensbergensem Comitatum dicto Johanni tertio in dotem daret; Ambo verò parentes sic convenerunt & in perpetuum duraturo pacto caverunt, ut omnes dictae provinciae ex tunc unitae, non solum in dictum Johannem III. & Mariam Juliacensem de mortuis utrisque parentibus paciscentibus transferrentur, sed his quoque vita defunctis primogenitus ex iis, aut filio non existente, primogenita & sic deinceps nati ex iisdem, servato semper primogeniturae jure, & eatenus sexus prerogativa, succederent. Quae pacta à Cæsaribus successively diversis temporibus ex certa scientia sunt confirmata. Circa A. C. 1511. quo Wilhelmus Juliacensis moriebatur, casus contigit, & vigore dictorum pactorum & vi unionis istius Johanni III. Clivensi & Mariae Julicensi omnium harum Terrarum successio deferebatur. Potuissent forte Serenissimi paciscentes pactorum & unionis istarum Terrarum omnium jure Francorum satis securi esse, quo valuerunt de Feudis pactis & testamento pro lubitu disponere. Cum verò Albertus Saxoniae Dux, qui Wilhelmo Juliacensi ejusque posteris non adeo favisse fertur, à Friderico III. Cæsare die 25. Junij Ao. 1483. expectantiam, ut dicunt, in Ducatus Juliae & Montium ea conditione impetrasset, ut si Ducatus hic morte Wilhelmi vel aliàs Cæsari & Imperio aperiretur, is succederet; Eamque Maximilianus I., cum Terrarum harum conditio tunc non pateret, Alberto & Ernesto Electori Saxoniae renovasset, Ao. C. 1508. antea

antea recensiti V Vilhelmus Juliacensis & Johannis Clivensis Maximilianum I. de conditione & qualitate horum Feudorum plenius instruxerunt, & melioris & abundantioris cautelæ ergo, privilegium juris jam competentis declaratorium, ac quod Mariæ Juliacensi in istas Ditiones successio jure competat, impetrarunt non solum, sed etiam idem Maximilianus I. d. 4. Maji A. 1509. dictam declarationem confirmavit, ex certa scientia & motu proprio ac ex potestatis plenitudine, omnes expectantias à parente Frid. III. datas sustulit, & verbis nullitatem & invaliditatem ipso jure inferentibus casavit; in superq; A. C. 1516. literis Reversalibus ex Frisia 17. Julii datis, promisit se Domui Saxonicæ prætensæ istius expectantiæ causa satisfacere velle, Filio vero Carolo V. Johannem III. Clivens. ac Mariam conjugem de Ditionibus hisce investiendi copiam dedit. Rebus sic se habentibus, ex Johannis III. Clivensis & Mariæ Juliacensis Matrimonio non infelici Wilhelmus junior ac tres filia, Sybilla Electori Saxonico Johanni Friderico, Anna Heinricho 8. desponsatae ac Æmilia in nupta decedens fuerunt pronati. Defuncto A. Chr. 1539. circiter, parente Johanne III. Clivensi, vigore pacti & unionis confectæ unicus hæres in omnes hæc Terras successit & matrimonio sibi Mariam Austriacam Ferdinandi I. Cæsaris Filiam sibi junxit. Jura vero a-9. lias successione & primogenituræ intuitu competentia, Carolus V. Ferdinandus I. Maximilianus II. & Rudolphus II. Cæsares solidè confirmarunt ac approbarunt. Wilhelmus ex matrimonio cum Maria Austriaca nuncupata Filios duos Carolum Fridericum & Johannem Wilhelmum; Filias autem quinque Mariam Eleonoram, Annam, Magdalenam, Sybillam & Elisabetham suscepit. Mortuo Carolo Friderico primogenito Romæ Anno 1575. sine

ne

ne nuptiis & liberis, ad secundo genitum, sacris destinatum successio pertinebat, isque renunciatus Episcopatus Monasteriensis, cui jam consecratus erat, vi unionis & pactorum, omnes has terras unitas accipiebat, Improliis tamen Anno 1609. d. 25. Martii decedebat, & juxta pactorum, unionis & Juris Francorum alias ibi recepti vigorem proximo Heredi, ejusque posteris amplissimas has Ditiones relinqvebat, Anno Christi 1572.

13. Wilhelmus pater Mariam Eleonoram filiam primogenitam Duci Borussiae Alberto Friderico desponsavit, vi unionis ab Adolpho Duce Cliviae Anno 1415. cum Statibus & Subditis initæ, ac supra dictorum pactorum Dotalium vigore de Anno 1496, pactis dotalibus cavit: Sin ipsi parentes sine prole mascula, vel proles eorum mascula sine liberis morerentur, licet tunc ambo supervixerint filii, Filia ipsorum primogenita Maria Eleonora Alberto Friderico Duci Borussiae desponsata, & ex isto Matrimonio suscepti liberi [dubio procul primogenituræ & sexus servata prærogativa] in unitas Terras succedere deberent, vi confirmationum & declarationum Cæsarearum, uti verba dictorum pactorum dotalium Prutenicorum clare satis habent. Pacta hæc inter omnes Wilhelmi Liberos fideliter non solum servata, sed cum Anno 1574. secundo genita, Philippo Ludovico Comiti Palatino Rheni, tertio genita Magdalena Palatino Rheni Johanni Bipontino, & quarto genita Sibylla Philippo March. Burgavensi, in Matrimonia elocarentur, eadem cautio intuitu primogenitæ filiaæ Mariæ Eleonoræ ejus heredum fuit repetita, postgeniti eo respectu juri suo solenniter renunciarunt & in casum decedentium ex prima Linea succedendi spem saltem sibi reservarunt. Ex Alberto Friderico & Maria Eleonora, Anna, quæ Electori Bran-



Brandenburgensi Johanni Sigismundo nupsit, nata est, quæ  
 Felicissimæ memoriæ Georgius Wilhelmus & ex hoc  
 Serenissimus ac Potentissimus Fridericus V Vilhelmus  
 Dominus noster clementissimus, oriundus est. De<sup>15</sup>  
 successione in Terras sæpe dictas unitas potentissimæ  
 Domus apud Cæsarem controverterunt diu. Quarum  
 Saxonica universam sibi hæreditatem prætendit, Ser. Ele-  
 ctor Brandenburgicus integram quoq; sibi deberi solidè  
 deduxit. Idem, sed ex diverso jure, sibi deberi autumat.<sup>16</sup>  
 Neburgico Palatinus. Cui & reliquis Bipontinus &  
 Burgavius se opponunt nomine conjugum, & Feuda ista  
 in Sorores ultimo decedentis æqualiter esse dividendas, E-  
 lectrici vero nunc Electori Brandenburgico de feudalibus  
 nihil, ex allodialibus vero quartam tantum jure præsen-  
 tationis deberi voluerunt. Nos judicium hic non sumi-<sup>17</sup>  
 mus temerè; cum tamen Acta nunc publici juris sint, quæ  
 neminè latere debent, in patria viventem fidelem civē, non  
 vitio verti nobis posse autumamus, si argumenta quæ  
 urgentiora visa sunt producamus, & quid opinemur, sine  
 cujusq; præjudicio ingenuè hic fateamur: In confessor<sup>18</sup>  
 esse remur, Ducatus Juliæ, Cliviæ, Montium cum unitis  
 Terris iis in partibus Germaniæ sitos esse, ubi Jus Fran-  
 corum quoad successiones tam in feuda quam allodialia  
 fuit servatum. Cujus vigore Domino & possessori tam  
 inter vivos quàm mortis causa disponere fas est ab eo, qui in  
 allodialibus consuevit, parum differente modo. In reliquis  
 jus primogenituræ sexus & lineæ prærogativa serva-  
 batur, de quo jam in sectione prima actum. Deinde ne-<sup>19</sup>  
 minem inficias iturū credimus, Adolphum Cliviæ Ducem  
 A.C. 1418. cum Statibus suis provincialibus & subditis con-  
 venisse & statuisse perpetuam suarum Provinciarum unio-  
 nem, simulq; jus primogenituræ tam quoad masculos quàm

foeminas inibi introduxiffe, & Cæsares id confirmasse. Nam hodie adhuc Homagia, quando casus se dant, præstanda id attestantur, & Cæsarium confirmationes in aprico sunt.

20 Nec negaturum arbitramur quenquam, post unionem omnium horum Ducatum & provinciarum An. 1469. factam; idem quod ratione Cliviæ & suarum Terrarum Adolphus statuit, per istam unionem in cæteris Ditionibus successionis ratione fuisse introductum & statutum, ut scil. & primogenituræ & lineæ & sexus servetur ratio;

21. Hunc enim in sensum illa pacta confirmarunt, Cæsares, concesserunt investituras, & pacta dotalia ad amussim istarum inita rati habuerunt, uti supra in hac Sectione assertum, eoq; sensu à V Vilhelmi posteris fuerunt

22. agnita & ad posteros transmissa. Neminem quoque fore putamus qui sincere pacta dotalia prutenica inter Albertum Fridericum Borutsiæ Ducem & Mariam Eleonoram in controversiam vocare possit; verbis quippe satis dilucidis ibi cavetur, primogenitam istam V Vilhelmi Ducis filiam & ejus posteros *Ihrer beyder Ebd. Erben* in casum quando parentes masculū successorem non relinquerent, vel si successio quidam ei deferretur, is autem improlis decederet, universales debere esse heredes, & quidem: *Krafft und Inhalts darüber hiebevör erlangeten und*

23. *bestätigten Käyserlichen Privilegien.* Iis itaq; positis, sponte veluti fuit: Casu existente post mortem Johann. V Vilhelmi Ducis sine prole decedentis juxta pacta unionum, dotalium præsertim posteriorum & juris Franconici ductum Mariæ Eleonoræ, & post hujus fata posteris ejus in

24. ista linea successionem fuisse delatam. Hoc enim infert natura & proprietas primogenituræ, ut primogenito vocato & nato statim ejus posteris jus quæsitum sit. *Tiraquellus de jure primogenit. qv. 10. n. 21, & qv. 40. n. 160. Besoldus*

*Soldus de Reg. succ. l. 2. Diff. 7.* & sic praxis in simil. A. B. ar-  
 gum. id firmat. 2. pacta unionū & præsertim dotalia præte-25.  
 rita hoc attestatur, ubi simul primog. heredes vocantur, qui  
 vocati dici non valerent, si transitus de linea in lineam fi-  
 eret. 3. Ipsi Ducis V Vilhelmi filii & filia reliqui eo sen-  
 su jus primogenituræ, Lege & ex pactis istis Mariæ Eleo-26  
 noræ competens, inteliexerunt; dum postgenitæ Sorores  
 singulæ in pactis dotalibus secum ininitis juri suo, si quod  
 competiisset, renuntiarunt, & nihil sibi, nisi successionis  
 spem juxta dicta pacta reservaverunt. Quæ renun-  
 tiationes & reservationes semel factæ inefficaces ex post  
 facto censerent, nullo jure possunt. Videri quidem posset 27  
 assertioni huic obesse 1. quod *Frid. à Sande* habet *sæpe d. l.*  
*ad Geldria consuetud. Feudales p. 1. t. 3. §. 24. & 30.* quasi jus  
 primogenituræ non nativitate, sed vi delatæ successionis  
 contingat, ut si primogenitus tempore successionis non sit  
 superstes, id non juvet, nec filio ejus esse locum sed secun-  
 dogenito, quoniam primogenitū natum esse oporteat de-  
 latæ successionis tempore *arg. §. in extraneis inst. de hered.*  
*qualitat. & diff.* Et cum primogenita Maria Eleonora  
 prutenica, decem mensibus ante fratrem Anno sc. 1508.  
 mortua, progeniei ejus primogenituræ juris capacitatem  
 delatam non esse. 2. Quod in locis ubi consuetudine vel pa-28.  
 cto foeminae post mares admittuntur, lineæ prærogativa  
 non attendatur, sed lineæ rationem tantum inter ejus-  
 dem sexus haberi debere 2. *F. 17. verb: donec super est masculus*  
*Struvius in Syntagm. Feud. c. 9. a. 8. n. 10.* 3. Si pactis dotali-29  
 bus vis quædam tribuenda esset, Domum Saxoniam Dno.  
 Electori Brandenburgensi præferri, propter pacta do-  
 talia inter Johannem Fridericum Electorem Saxonie &  
 Sibillam Clivensem de Ao. 1526. d. 8. Aug. inita, & à Cæs.  
 confirmata. Ex vero tamen assertioni nostræ non obfunt. 30.

31. Quantum enim ad primum argumentum, quo *Sande* utitur, de diverso conceptū est, & de nuda capacitate personæ loquitur, quæ sufficit si delatæ successionis tēpore talis deprehendatur; sed hic propriè non de personæ capacitate ratione sui ipsi9 agitur, quæ hic in controversiam nō vocatur, sed ratione grad9 & lineæ disputatur, quod inde decidi non potest; Deinde contra ipsam juris primogenituræ indolem est, non nativitate sed delatæ successionis tempore acquiri *Deut. 21. v. 16. Tiraquell. de jure primogenituræ qu. 21. §. qu. 40. n. 37. Molin. ad consuetud. parisienses tit. 1. §. 13. gloss. 3. q. 2. n. 6.* & licet non actualis, habitualis tamen successionis delatio, & ejus qualitatis transmissio hic adest *Schradler. de Feud. p. 5. c. 6. n. 19.* præsertim juris Francorum ductu quo lineæ respectus ad primogenituram fundandam non potest negligi, & sic primogenitæ prædefunctæ filia excludit secundogenitæ filium. In primis quod in pactis unionum & in individuo in prutenicis dotalibus heredes & posterii Mariæ Eleonoræ expressè sint ad successionem harum Terrarum unitarum vocatæ. 3. *Fridericus à Sande alleg. loco de moribus Geldriæ specialibus loquitur qui hūc trahendi non sunt tanquam singulares. Quod 2do loco obstare videbatur, non stringit, loquitur n. de merito jure Feudali Longobardico, quod pure hic non respicimus, sed potius in his & similibus controversiis jus Francorum sequimur. Præterea in casibus juris primogenituræ de quo hic & D. Struvius non agit, haud negligitur respectus lineæ juxta praxin totius ferè Germaniæ, & ideo ubi foemina juris primogenituræ capax est per legem aut pacta, ibi etiam ejus descendendum non potest non haberi ratio; licet inter ejus descendentes hic sexus habenda sit prærogativa. Tertium quoque parum movet: Nam in pactis dotalibus allegatis Saxonicis*

cis expresse disponitur, si Johannes Clivensis & Maria Juliacensis parentes prolem masculam non relinquerent, vel hi etiam sine prole decederent, verbis: *Keine männliche Erben hinter sich verlassen würden/ die Förder keine Erben verliessen* / tunc demum ibi majorem natu filiã & ejus posteros succedere debere. Jam vero non solum Filium VVilhelmum juniorem successorem omnium Terrarum istarum habuerunt, sed hic vicissim à se descendentes reliquit, in Serenissimo Electore Brandenburgico Dno nostro clementissimo & ejus posteris, ut sic si alia quoque non obstarent, Saxonicae successioni non locus esset, quam diu ex Domo Electorali Brandenburgica à VVilhelmo isto descendentes masculus vel foemina superesset. Alias rationes data prærervehimur operâ. Partium quaz<sup>38.</sup> talium jura in illustri hac controversia tangere, nec vacat nec integrum est, ne temerè fecisse videamur. Si in discursu, cum publici juris sint acta typis evulgata, de iis differendi dabitur occasio, quid sentiamus, quâ decet modestia & veneratione, afferemus. Cæterum licet foe<sup>39.</sup> minæ Feudorum more Clivensium vel Zutphaniensium collatorum capaces sint, modo explicato, in curia tamen ob sexus verecundiam nec postulationis nec judicii exercendi causa locum habent. Imo juxta Geldriae ritum ne quidem pro se postulare possunt *Frid. à Sande d. l. a. 3. c. 2.* Sed<sup>40</sup> si Cajus mortuus esset, & Feuda Clivensium more concessa reliquisset, Domo vero principali equestri excepta, quæ majori natu præcipua, Feudum in quinq; æquales portiones esset dividendum, servitia feudalia autem ita essent comparata ut Domino feudali non profint per partes, major natu verò nec partes reliquorum redimere nec permittere vellet, ut suæ & reliquorum portiones in alium vendantur, feudi clivensis & servitiorum præstandorum

capaci; an à Domino cogi potest invitus ut vendat, an Dominus tandem consentire tenetur, ut servitia à singulis  
 41 partibus, quo fieri potest, modo præstentur. Jure quidem communi cautum est neminem teneri rem suam vendere invitum regulariter *l. ii. c. contrah. empt.* sed quoniam inter cæteras limitationes hæc quoq; habetur, si res vendenda ita cõparata sit, ut si divideretur vectigal comode inde præstari non possit, divisio non admittenda *l. 7. pr. ff.*  
 42 *Si ager vectigal.* Deinde, si publici intersit rem non in communione retineri sed vendi, quod tunc fiscus, etiam si portionem. minorem saltem in re habeat, ad venditionem provocare possit *arg. l. un. c. de venditione rerum Fiscali-*  
 43 *um. 3.* In rebus ex beneficio alieno obtentis, ad quas etiam suo modo res feudalis referri potest, quando majorem partem in ea habens ad venditionem provocat, minorem verò portionem habens eam redimere nolit, invitum ad venditionem cogi posse. *l. 34. §. 2. c. de donat.*  
 44 4. in rebus feudalibus non minus Domini interest cum rebus ita agi, ut servitia non incommode præstentur, quam  
 45 vassalli ut is re in feudum accepta commode fruatur. §. quâ novisse datur moribus Clivensium aliud non introductum: Nulli dubitamus quin tali casu major natus etiam Domum suam quam jure singulari in divisione præcipuam obtinuit, teneatur ex arbitrio Domini cum reliquis portionibus vendere alii, sed uti in similibus casibus omnibus, sic etiam hic justo pretio *arg. §. 2. Inst. de hi sui vel al.*  
 46 *jur. sunt verb: bonis condit.* verum uti jam supra innuimus, res feudalis hic vendi deberet indigenæ, & qui juxta consuetudinem & statuta Clivensia inter Pares curiæ locum habere potest. Sed quid si extraneus, vel qui jus indigenatus ibi non haberet ut proximus agnatus in feudum è curia Clivensi concessum succederet? eo casu opinamur vel  
 indi-


indigenam quendam debere hoc feudum vel portionem feudi justo pretio redimere, aut ei satisfacere, aut justè petenti jus indigenatus non esse denegandum; ne curia vel convasalli alieno damno quid expetere videantur. Quæ fusius deduci possent nisi Disputationis conscribendæ leges vela contrahere monerent. Et cum supra de Feudis Zut-48 phan. more concessis assereretur, majorem natu in bessem bonorum succedere, trientem minoribus natu æqualiter dividendum assignari; in confesso quidem esse remur actionem realem minoribus natu pro consequendo eo competere, an verò coram iudice loci ordinario, an feudali ejus iuris interpretes ambigere deprehendimus. Verum cum 49 triens hic feudali qvalitate imbutus, eo quod dividatur non desinat esse talis, actionem istam coram feudali iudice esse intentandam nulli dubitamus cum *Frider. à Sande p. 22. sepe d. l. ad consuetud. Geldr. Tr. 3. c. 1. §. 2. n. 8.* Cæterum 50 si actor harum Terrarum aliquam asserat rem feudalem, reus verò neget, & allodiam eam esse prætendat, quis hic, Feudalis ne, an rei sitæ iudex ordinarius cognoscet? Videtur inter Doctores, iudicem loci esse competentem communior, & inde ferè receptor, illum enim non competentem esse volunt nisi super lite de re vere feudali oriunda. Ast re curatè inspecta, juri convenientius 51 videtur ex qualitate actionis intentatæ id discernendum esse; Si itaque actor coram iudice feudali super re qua- 52 piam actionem feudalem intentasset, reus verò negaret eam esse feudalem, inde statim feudalis iudex non fieret in competens, vel forum transferretur ad iudicem loci; Sed sicuti de jure Cæsareo generaliter cautum, nec in jure feudali ac curiis Clivenfibus aut Zutphanicis statutum, aliter, ut iudex super competentia sua ipse pronunciare possit. *l. 2. ff. si quis in jus vocatus non erit l. 5. ff. de jud.*

ita

ita quoque his casibus tenere putamus cum *Fride-*  
 53. *rico à Sande modo dict. loc. num. 10. Et seqv.* Nec in-  
 teresse putamus an in possessorio an in petitorio agatur;  
 quamvis enim Doctorum non pauci opinentur, in pos-  
 sessorio super feudo instituto iudicem loci ordinarium es-  
 se competentem, argumento Rei spiritualis aut causæ ma-  
 trimonialis. Ex verò tamē quoniam possessorium super re  
 feudali institutum non potest non causa feudalis dici; &  
 eij intuitu iudex feudalis competens est, verius arbitramur  
 & in possessorio iudicem non rei sitæ, sed feudalem esse  
 competentem, & per consequens hoc intuitu super com-  
 petentia sua iudicem feudalem cognoscere posse asse-  
 rimus *cum D. Struvio Et aliis ibi allegatis in Synt. F. c. 16. a.*  
 4. n. 3. Ubi in sequentibus quis de jure communi Feudali in  
 54 causa Feudali sit competens pluribus tradit. Ast quan-  
 do Feudum in alieno territorio situm è Curia Clivensi  
 concessum ob culpam aliquam commissum perhibere-  
 tur, & Fiscus Domini ideo ageret, quod forum hac ra-  
 55. tione habeat competens? Videri posset iudicem loci esse  
 adeundum, quod extra territorium nemini competat ju-  
 risdictio *l. fin. ff. de jurisd. l. 38. in fin. ff. de jud. præsertim sine-*  
 56. *garetur rem quæ fisco vindicatur esse feudale.* Verum quo-  
 ntam 1. causa talis quando Dominus agit ad commissum  
 feudum ob culpam, à Doctoribus censetur feudalis. *D.*  
*Struv. in Synt. F. d. c. 16. a. 4. n. 1. verb. aut culpa vasalli* 2. In  
 tali causa non nisi iudex feudalis est competens per supra  
 dicta. 3. Usu juris publici in confesso est Principes & Sta-  
 tus Imperii ob commissa feuda etiam in alieno Territo-  
 rio sita cognoscere & libere disponere *Art. 27. Capitul. Le-*  
*opold. verb. Sie seyn gelegen wo sie wollen. Dictus Art. 27.*  
 quidem de crimine læsæ majestatis loquitur; Sed quoni-  
 am ibi vices exempli id habet, in similibus eadem ratio te-  
 net



net. Quoniam vasalli usu totius ferè Germaniæ in Ter-  
 ritoriis Statutum eodem jure cum Subditis in multis cen-  
 sentur, dum non solum jure fidelitatis sed etiam simul ho-  
 magii obligantur. 5. Ideo idem judicium quod loci solet  
 esse ordinarium in causis feudalibus quoq; solet esse com-  
 petens. 6. Ob eandem rationem Fiscus Principis experiri  
 solet ob culpam. 7. Ob duplicem hunc, hinc conjunctū res-  
 pectum uti causæ Fiscales de jure Romano Cæsareo non nisi  
 coram Cæsaris procuratore vel ejus Rationali, non coram  
 judice loci ordinario, expediuntur *l. 1. § 2. 5. C. ubi causa*  
*Fiscales* sic in feudal. in Territor. Principum & Statuum Im-  
 perii Aulicum judicium vel curia alia ritu & modo pro  
 cujusq; Regionis consuetudine solet esse competens. 8.  
 Propter supra dicta etiam in feudalibus judex, quando  
 actor coram eo intentat actionem feudalem, reus verò  
 rem feudalem esse negat, competentem se pronunciare<sup>57.</sup>  
 valet: nulli dubitamus quin aulicum judicium vel loci curia  
 ordinaria hoc casu sit competens, nec Fiscum Domini ju-  
 dicem rei sitæ eo fine adire necesse habere. Concludi-<sup>58.</sup>  
 mus sic, & ejus Numinis auspicio quo incepimus, fini-  
 mus Tractationis materiam, Tu, Benevole Lector, eo ani-  
 mo, quo cuncta hæc posita sunt, interpretaberis, si-  
 militer, nos in Tuis facere consuevisse  
 confides.



G

Alte

## Alterius Sectionis

## CONSPECTUS.

1. **A**mbigitur, an Feudorum Clivensium more concessorum qualitas permittat asserere, eadem esse Masculina.
2. Propter jus Francorum in Terris iis consuetum, ab antiquo etiam proprie masculina feuda ista non fuerunt.
3. Et posito quod fuissent id tamen de ipsis Ducatibus Julia, Clivia, Montium & c. non possit predicari.
4. & 5. In argumentum ejus assertionis stabiliendæ adducitur pactum unionis omnium istarum Terrarum, Julia, Clivia, Montium & c.
6. Exemplum quo vi dicti pacti unionis Terra ista uni fuerunt delata.
7. Albertus Saxonie Dux expectantiam quidem in Julia & Montium Ducatus obtinuit, quæ postea à Maximiliano I. Cesare renovata, sed cum hic melius informaretur, idem Maximilianus
8. Aliud exemplum quo V Vilhelmus junior Dux solus in Terras has unitas, de quibus agitur, successit.
9. Cæsares succedendi jura fæminis, jure primogeniture tamen & sexu habita prerogativa, alias competentia insuper confirmarunt.
10. V Vilhelmus hic ex matrim. cum Maria Austriaca duos Filios & Filias quinq; suscepit.
11. Mortuo ejus primogenito sine nuptiis & prole, secundogenito unitarum Terrarum successio deferebatur.
12. Is tamen etiam sine prole decessit, & proximo heredi, quod tunc in controversiam abiit, Terras unitas eas reliquit.

13. Ca.

13. Cavit *W*ilhelmus Pater pactis dotalibus inter Albertum Borussia Ducem & Mariam Eleonoram filiam suam primogenitam si is & uxor sine prole mascula decederent, vel proles mascula succederet, sed sine heredibus vita defungeretur, huic primogenita & ejus posteris, succedendi jus universale in Terras istas unitas debere competere, vi pactorum unionis, confirmationum Cesarearum & juris Francorum ibi recepti.
14. Pacta hæc omnes *W*ilhelmi liberi fideliter servarunt.
15. & 16. Sed tamen potentissima Domus de successione hac apud Casarem contraverterunt.
17. Autor de illa judicare temerè sibi non sumit.
18. 19. 20. 21. 22. Adducuntur argumenta omnium partium urgentissima.
23. Quibus positis ingenuè fatendum successionis juri universale in Terras unitas istas deberi Mariæ Eleonoræ Filia *W*ilhelmi primogenita, ejusq; posteris.
24. 25. 26. Firmatur ea assertio argumentis quibusdam.
27. 28. 29. Recensentur quæ videri possent assertioni huic obstare.
30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. Respondetur objectionibus.
38. Monet Autor adhuc se nulla partium jura hic sectari, nec alicui dissentienti eo controversiam movere, sed veritatis indaganda causa & qua Academico more Disputantes decet, modestè egisse.
39. Digressio: licet fœmina in feuda Clivensium more concessa succedant, in curia tamen parium nomine non veniunt.
40. Recensetur alia, ea occasione, oriunda controversia.
41. 42. 43. 44. 45. Resolvitur & deciditur ista, ac assertionis adducuntur argumenta.
46. More Clivensium tamen feuda vendi debent indigena, curia istius capaci.
47. Si extraneus succederet in feudum clivense, vel indigena

AK 11/3222

(52.)


- gena aliquis ex aequo redimat id, vel concedendum, tali justè id petenti jus indigenatus.
48. Coram quo iudice Actioratione trientis ex Feudo Zutphanico à minoribus natu instituenda.
49. Afferuntur rationes Decisionis.
50. Quando Actor Actionem feudalem intentat intuitu rei feudalis, reus autem rem feudalem esse negat, an iudex rei sit & sit ordinarius.
51. Decisio juris in causa posita.
52. Resolvitur disquisitio, & decisionis rationes afferuntur.
53. Eo intuitu non interest an in possessorio an petitorio controvertatur.
54. Disquiritur, si feudum more Clivensium concessum in alieno territorio situm ob culpam v.g. non petita renovationis investitura commissum perhiberetur, & Fiscus Dni ideo agere vellet, nū coram iudice Rei sita experiri teneretur.
55. Videri possit quod sic.
- 56.57. Sed negatur & statuitur iudicem feudalem curia esse in ea causa competentem, ac aliquot ejus Decisionis adducuntur argumenta.
58. Finis imponitur operi cum voto & monito.

**F I N I S.**



1077  
MC





THECA  
AVIANA

BIBLIOTHEK

